



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

2. Rationi congruit, &c. De beato Isidoro Agricola Hispano, per Gregorium  
XV. Pont. Max. Sanctorum Confessorum Canoni adscripto.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

ANNO  
1724.✠ Ego BENEDICTVS catholicæ Ecclesiæ  
Episcopus.✠ Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis  
Barberinus.✠ Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis  
Othobonus S. R. E. Vicecancellarius.✠ Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardi-  
nalis Corfinus.✠ Ego Joseph Renatus Tit. Sancti Laurentii in  
Lucina Presbyter Cardinalis Imperialis.

✠

✠ Ego Philippus Antonius Tit. Sanctæ Prædix  
Presbyter Cardinalis Gualterius.

✠

✠ Ego Ludovicus Tit. Sancti Silvestri in Capite  
Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.✠ Ego Joannes Antonius Tit. Sancti Petri in  
Vinculis Presbyter Cardinalis de Via.

✠

✠ Ego Antonius Felix Tit. Sanctæ Balbinæ Presby-  
ter Cardinalis Zondadarius.

✠

✠ Ego Petrus Marcellinus Tit. Sanctæ Mariæ  
Transiberim Presbyter Cardinalis Cor-  
radinus.

✠

✠ Ego Curtius Tit. Sancti Eustachii Presbyter  
Cardinalis Origus.✠ Ego Melchior Tit. Sanctæ Mariæ Angelorum  
Presbyter Cardinalis de Polignac.

✠

✠ Ego Nicolaus Tit. SS. Nerei & Achillei  
Presbyter Cardinalis Spinula.

✠

✠ Ego Georgius Tit. Sanctæ Agnetis Presbyter  
Cardinalis Spinula.✠ Ego Cornelius Tit. Sanctæ Cæcilie Presby-  
ter Cardinalis Bentivolus.

✠

✠ Ego Ludovicus Tit. Sanctæ Priscæ Presby-  
ter Cardinalis Belluga.✠ Ego Joseph Tit. Sanctæ Sufannæ Presbyter  
Cardinalis Pereyra de la Cerda.ANNO  
1724.✠ Ego Joannes Baptista Tit. Sancti Stephani in  
Monte Cælio Presbyter Cardinalis Sa-  
lernus.✠ Ego Albarus Tit. Sancti Bartholomæi in Insula  
Presbyter Cardinalis Cienfuegos.✠ Ego Bernardus Maria Tit. Sancti Bernardi  
ad Thermas Presbyter Cardinalis de  
Comitibus Major Pœnitentiarius.✠ Ego Joannes Baptista Tit. Sancti Matthæi in  
Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.✠ Ego Vincentius Tit. Sancti Onuphrii Pres-  
byter Cardinalis Petra.✠ Ego Prosper Tit. Sancti Calixti Presbyter  
Cardinalis Marefucus.✠ Ego Frater Augustinus Tit. Sancti Xysti Pref-  
byter Cardinalis Pipia.✠ Ego Nicolaus Tit. Sanctæ Mariæ in Dom-  
nica Presbyter Cardinalis Coscia.

✠

✠ Ego Nicolaus Maria Tit. Sanctorum Joannis  
& Pauli Presbyter Cardinalis Lercarius.✠ Ego Fr. Laurentius Tit. Sanctæ Mariæ de  
Araceli Presbyter Cardinalis Cozza.

✠

✠ Ego Benedictus Sanctæ Mariæ in Via Lata Dia-  
conus Cardinalis Pamphilius.✠ Ego Laurentius Sanctæ Agathæ ad Montes  
Diaconus Cardinalis de Alteriis.✠ Ego Carolus Sancti Angeli in Foro Piscium  
Diaconus Cardinalis Columna.✠ Ego Fabius Sanctorum Viti & Modesti Dia-  
conus Cardinalis de Abbatibus Oliveriis.

✠

✠ Ego Julius Sancti Hadriani Diaconus Cardi-  
nalis Alberonus.✠ Ego Alexander Sanctæ Mariæ in Cosmedin  
Diaconus Cardinalis Albanus.✠ Ego Alexander Sanctæ Mariæ de Scala Dia-  
conus Cardinalis Falconerius.

✠

✠ P. Card. Prodatarius. F. Card. Oliverius.  
VISA  
De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.  
L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

De Beato Isidoro Agricola Hispano, per Gre-  
gorium XV. Pont. Max. Sanctorum Con-  
fessorum Canonis adscripto.BENEDICTVS EPISCOPVS,  
Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.Rationi congruit & convenit æquitati, ut  
quæ Romanus Pontifex in plenario conven-  
tu venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium,  
Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum,  
unanimes eorum consilio communicato,  
sanxit & definivit, licet postea ob ejusdem Pontifi-  
cis obitum litteræ Apostolicæ de his conscriptæ  
non fuerint, suum tandem consequantur effectum.Summus rerum opifex suæ virtutis potentiam  
ostensurus, nostræque salutis causam acturus, fi-  
deles suos, quos coronat in Cælo, sæpè etiam ho-I.  
Beatus Isidoro  
Agricola  
apud Aposto-  
licam sedem  
virtutibus &  
miraculis ho-  
norat

norat

ANNO  
1724.

norat in mundo, ad eorum memorias signa & prodigia faciens, per qua pravitas hæretica confundatur, & fidei Catholica veritas confirmetur. Hinc pia recordationis Romani Pontificis antecessores nostri quum olim audissent, luculentis indicis patefieri apud hanc sanctam Apostolicam Sedem, Beatum Isidorum Agricolam, inter mortales degentem magnis vitæ meritis & virtutibus excelluisse, ac postea viventem in Cælo multis miraculis coruscasse; inde ex venerandis S. R. E. constitutionibus & regulis certum ejus sanctitatis argumentum propterea duxerunt, quod & merita vera præcessissent, & miracula clara consecuta essent, unde Romana Ecclesia ad ejus venerationem induceretur, quem Deus meritis præcedentibus & subsecutis miraculis venerandum ostendat. Quare felix memoria antecessor noster Gregorius Papa XV. ad universalis Ecclesiæ regimen evectus, postquam ex frequenti relatu coram se habito eximias virtutes & signa quam plurima ejusdem Beati Isidori intellexit, quem ob longam, generalem, & assiduam sanctitatis famam & cultum viro Dei per multa sæcula constanter exhibitum, Gregorii, nostrique antecessor Paulus Papa V. Rege Catholico Philippo III. per oratores suos vehementissimè flagitante, beatis viris adnumerandum ritè fanciverat, de eodem post maturam deliberationem, per longas & complures discussiones hac de re habitam, in Sanctorum Canonem, more majorum, provide referendo cogitavit.

Mantua Carpetanorum, Sede Regum Hispania, quæ alias Matritum vocatur, in Diocesi Toletana, humilibus quidem, sed piis Catholicisque parentibus natus, floruit Isidorus sæculo XII. cujus nomen, tanquam probatissimi hominis, vitæque mira innocentia & signorum gloria illustris, inde usque ad sæculum XVII. uno omnium Hispanorum ore celebratum est, universis honoribus ei palam tributis, quæ in Ecclesia Catholica unis beatis & sanctis viris tribuuntur. Christianas virtutes à tenerioribus annis ita coluit Isidorus, ut adultior factus cæteris artibus, quibus vitam aleret, propterea agriculturam prætulit, quod humilior, laboriosior, animæque saluti comparanda aptior & tutior ei videretur. Hanc toto vitæ suæ tempore ita exercuit, ut vel minima pietatis & Religionis officia, quæ semel susceperat, nulla unquam die, causa ejus, prætermitteret. Ad agrum colendum nunquam accessit, quin prius, auditio sacrosanctæ missæ sacrificio, precibusque ad Deum ac beatam Virginem ex imo pectore fuis, divinum auxilium implorasset: quod illi sæpè numero præsto fuit, ubi præsertim apud herum, cujus agrum cutabat, propterea accusatus est, quod pietatis operibus plus æquo occupatus, agri opus negligere videretur. Herus enim iratum plenus, ut de Isidoro pœnas sumeret, in agrum, quem ineultum putabat, profectus, tino illum bovum iugo arari conspexit. Unum & alterum gemini juvenes albis induti regebant, tertium vero medius Isidorus, duo illi, hero accedente, dispartierunt, atque ita factum, ut herus vera esse intelligeret, quæ ei sæpè affirmaverat Isidorus, horas nimirum, quas divino obsequio impendisset, nequaquam perire. Rursus Isidoro divinæ orationi in sacra æde vacanti nunciatur, ejus jumentum à Lupo, nisi citus accurreret, jamjam devorandum. Ipso tamen ob id se ab oratione avelli non passus, absolutæque oratione ex æde egresso, jumentum incolune reperitur, lupo verò propè ipsum exanimis, Deo pro Isidori precibus vicariam operam ei rependente.

Tanta fuit Isidori charitas erga proximum, ut sibi pauperi, egenis & pauperibus profuturus, necessaria subtraheret. Quum omnia in eos aliquando erogasset, alius quidam, stipem deprecaturus, advenit, Isidoro mœrente, quod nihil pauperi dandum sup-

peteret, piissima conjux semel atque iterum, ei obsequutura, ollam vacuum scrutatur: quam tandem cibo plenam reperit, quo pauper esuriens abunde reficeretur. Eadem Beati Isidori conjux, Maria à Capite nuncupata, virtutum & morum sanctitate venerabilis, viroque suo planè perfimilis apud Hispanos habita est, hinc ejus antiquissimus cultus à piæ memoriæ decessore nostro Innocentio XII. anno Christi Domini MDCCVII. probari meruit, in examen adductus per venerabiles Fratres S. R. E. Cardinales, referente Joanne Francisco Diacono Cardinali Sancti Adriani, Albano nuncupato, mox ejusdem Innocentii in Cathedra Beati Petri successore, felix recordationis Clemente XI. antecessore nostro. Magnam Isidori caritatem non tantum erga homines; sed erga ipsa animantia, Cælique volatilia Deus per gratam sibi esse manifestavit. Quandoquidem asperissima hieme, dum omnia nivibus & glacie concreta rigerent, Isidorus triticum mola frumentaria terendum advehens, palumbas fame confectas arboribus mœstè insidentes conspiciat, quod nive omnia tegente, deesset, unde alerentur, ipse terram nive deterfit, tantum tritici spargens, quantum palumbis alendis satis esse arbitraretur. Factum displicuit socio Isidori, ab eo propterea correpti. Deo tamen nequaquam displicuit, qui triticam, quod supererat, ita auxit, ut postea nihil è sacco extractum videretur. Injuriis quibuscumque se inconcussum semper ostendit, deque fraudata opera, licet falso, accusatus, hoc ægre non tulit, quin potius pacate, respondit, acculatorum arbitrio se hero suo satisfacturum.

Probi viri fiducia in Deum tanta fuit, ut omnia, licet magna & difficilia, certo speraret. Quamplurima præcellentis hujus virtutis exempla occurrunt, ex quibus unum silentio non præteribimus, in sacra æde orationis dulcedine captus, ad socios, pium de more convivium instruens, serò descendit; neque ipse unus, sed pauperum, qui eum, ut patrem, sequebantur, grege stipatus descendit. Nihil ex convivio præter portionem seorsum pro eo servatam supererat. Ob multitudinem esurientium tristes socios bono animo esse iussit Isidorus; suam portionem viritim inter eos dividendam. Mox Isidori portio tam copiosa reperitur, ut non modò præsentibus affatim, sed absentes etiam pascere potuerit. Sed aliis quoque multis & magnis miraculis per Isidori, etiamnum viventis, merita & sanctitatem Deus patefecit. Hero enim in agro, quem Isidorus arabat, sienti, aquam in loco sicco & undique arido, percussa terra, manantem aperuit, quæ hætenus manat perennis, nullis unquam solis ardoribus exsiccata. Ei vis divina inesse dignoscitur, Deusque per Isidori intercessionem, in agris ad eam confluentibus assidua signa operatur.

His, aliisque quamplurimis Dei servus per omnem Hispaniam celebris & illustris, piè obiit circa annum Christi Domini MCCCXX. postquam, præeunte Sacramento pœnitentiæ, humilique confessione, suos ad veram pietatem & caritatem ferventi efficacia cohortatus, corpus Domini cum summa religione suscepisset. Servi Dei corpus sub dio totos quadraginta annos in cæmeterio depositum jacuit, imbrium injuriis, quasi in cloacam per serobem in sepulturam ejus confluentium, expositum. Elapso quadagesimo anno, Dei monitu corpus è cæmeterio in ædem ad honorem beati Andreae Apostoli Deo sacram, transferendum, effoditur: quod integrum, atque incorruptum, velaminibus pariter integris & incorruptis contactum, suavius odore fragrans, repertum est. Tandem anno Christi Domini MDCCIII. ex novo & honorifico sepulcro, ubi antea conditum fuerat, rursus extractum, eadem integritate & suavi fragrantia spectandum, omnibus patuit.

ANNO  
1724.II.  
Isidori ortus & piæ vitæ institutio.IV.  
Deus alias Isidori virtutes signis illustrat.V.  
Isidorus pie obiit, ejusque corpus ab injuria temporum servatur illæsum.

Isidori

ANNO  
1724.

VI.  
Isidori ex-  
vix miraculis  
conspicua.

VII.  
Rebus Isidori  
per summos  
Pontifices so-  
lemni ritu re-  
cognitis, Gre-  
gorius XV.  
eum in Sanc-  
torum cano-  
nem refert,  
& Urbanus  
VIII. in Mar-  
tyrologio Ro-  
mano descri-  
bi jubet.

Isidori sacras exuvias innumeris miraculis Deus illustravit. Cæci enim, surdi, claudi, alique non pauci, variis morbis laborantes, pulvere sepulturæ usi, convaluerunt. Sacrarum ædium Mantuæ Carpetanorum æs campanum atque organa tandiu, nemine pulsante, sonarunt, quandiu supplex & publicus translationis processus duravit. Ad unum omnia ob servi Dei invocationem in ægris sanitati restituendis acta prodigia, longum esset enumerare. Omnia in actis apud Apostolicam Sedem sufficienter & legitime probata fuerunt, perpetuoque pro luculentis & apertissimis testimoniis Summi Dei habebuntur, qui ad plenam fidem de Isidori sanctitate faciendam, quasi testis speciatim invocatus & rogatus accessit.

Hæc trienniali spacio per S. R. E. Cardinales coram piæ memoriæ antecessoribus nostris Romanis Pontificibus Paulo V. & Gregorio XV. solemnem examine, post illum, beatorum canoni adscriptum, discussa fuerunt, omnibus in eam sententiam abeuntibus, ut ejusdem S. R. E. legitimo ritu Isidorum Agricolam in sanctorum Confessorum tabulas referendum esse censerent, jamdiu id vehementer post Philippum III. Regem catholicum, etiam Philippo IV. ejus filio & successore, immo & tota Hispania apud Sedem Apostolicam flagitantibus. Quare Gregorius ex veteri Ecclesiæ Romanæ disciplina in tribus consistoriis coram se habitis tota re denuo in concilio adducta, jejuniisque, elemosynis & orationibus divino ad id auxilio implorato, decretum condidit de Isidoro inter sanctos publice referendo. Ad hæc idem Pontifex universis, quæ ex sacris constitutionibus, & S. R. E. consuetudine agenda erant, rite peractis, IV. idus Martias anno Christi Domini MDCXXII. pontificatus secundo, in sacrosanctam Basilicam Principis Apostolorum maximo apparatu & frequentia profectus, in plenario venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum conventu repetitis pro Isidoro in sanctorum canonem referendo ferventissimis ad Deum precibus, sanctique Spiritus gratia humiliter implorata, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, fideique catholice exaltationem, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus Sancti, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum, totius ejusdem plenarii conventus consilio, unanimique consensu, beatum Isidorum Agricolam Hispanum, de cujus vitæ sanctitate, fidei sinceritate & miraculorum excellentia plene constabat, una cum beatis confessoribus Ignatio a Loyola, Francisco Xaverio, Philippo Nerio, sacraque Dei Virgine Teresa a Jesu, sanctum esse pronunciauit, Sanctorum confessorum catalogo in universa Ecclesia adscribendum esse decrevit, ab omnibus Christi fidelibus, tanquam vere Sanctum, colendum & honorandum esse definivit, in ejus honorem sacras ædes atque aras, ubi incruentum Deo sacrificium offeratur, construi & consecrari posse; & singulis annis idibus Majis ejusdem festum, ut sancti Confessoris, celebrari sancivit: quem postea piæ memoriæ Urbanus Papa VIII. in tabulas Martyrologii Romani sub die VI. idus Majas referendum curavit. Gregorius eadem quoque Apostolica auctoritate, omnibus Christi fidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui eodem festo die sepulcrum, ubi Isidori corpusculum requiescit, devote invisissent, annum unum, & quadragenam; iis vero, qui in festi octava, quadraginta dies de injunctis seu quomodolibet eis debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavit. Postremo gratiis cum summa letitia Deo actis, quod sanctum Isidorum Agricolam cum ceteris confessoribus, & Virgine Deo sacra, in conspectu omnium gentium honorificasset, suamque Ecclesiam

per insigni hoc lumine illustrari voluisset, cantata in ejusdem Isidori, & ceterorum solemnem oratione in ara maxima supra confessionem beati Petri, Missam cum ejusdem commemoratione celebravit, omnibusque Christi fidelibus, qui tantæ caeremoniæ aderant, plenariam peccatorum indulgentiam & remissionem largitus est.

Ne vero de hoc decreto Apostolico, definitione, sanctione, adscriptione, relatione, statuto, concessione, ceterisque præmissis, propterea quod de illis per eundem Gregorium XV. perque ejus successores piæ memoriæ Urbanum VIII. Innocentium X. Alexandrum VII. utrumque Clementem IX. & X. Innocentium XI. Alexandrum VIII. Innocentium XII. Clementem XI. atque Innocentium XIII. antecessores nostros literæ decretales de more conscriptæ & promulgatæ non fuerint, unquam possit impostero quomodolibet hæsitari; nos, qui iisdem Romanis pontificibus, disponente Domino, in cathedra beati Petri, licet immeriti, tandem successimus, volumus, & nobis tradita Apostolica auctoritate statuiamus, ut decretum, definitio, sanctio, adscripti, relatio, statutum, concessio, ceteraque hætenus recensita, a jam dicta die IV. idus Martias anni MDCXXII. suum undequaque consequantur effectum, ac si super illis ab eodem Gregorio revera literæ decretales eadem die conscriptæ & promulgatæ fuissent, ut superius enarratur.

Volumus autem, ut præsentis nostræ literæ ad probandum decretum, definitionem, sanctionem adscriptionem, relationem, statutum, concessionem, ceteraque præmissa ubique omnino sufficiant, neque alterius cujuscumque probationis administrum ad id amplius requiratur. Præterea quia difficile foret, has nostras ad singula loca, ubi opus esset, adferri, volumus ut earundem exempli, etiam typis impressa, manu publici notarii subscripta, sigilloque alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munita, eandem ubique fidem obtineant, quam hæc nostræ obtinerent, si ubi eas exhiberi, vel ostendi contingeret.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, sanctionis, adscriptionis, relationis, statuti, concessionis infringere, aut ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo quarto, pridie nonas Junias, pontificatus nostri anno primo.

\* Ego BENEDICTUS Catholice Ecclesiæ Episcopus.



\* Ego

ANNO  
1724.

VIII.  
Isidori ad-  
scriptio san-  
ctorum cano-  
logo confir-  
mata.

IX.  
Hæc Consti-  
tutio ubique  
fidem obti-  
neat.

X.  
Nemo hæc  
Constitutio-  
nem infringere  
audeat.

ANNO  
1724.

†  
† Ego Franciscus Episcopus Prænestinus Cardinalis Barberinus.  
†  
† Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corfinus.  
†  
† Ego Joseph Tit. Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Sacripantes.  
†  
† Ego Philippus Antonius Tit. Sanctæ Cæcilie Presbyter Cardinalis Gualterius.  
†  
† Ego Ludovicus Tit. Sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.  
†  
† Ego Antonius Felix Tit. Sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondarius.  
†  
† Ego Petrus Tit. Sancti Joannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.  
†  
† Ego Melchior Tit. Sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.  
†  
† Ego Bernardinus Tit. Sancti Petri in Monte aureo Presbyter Cardinalis Scottus.  
†  
† Ego Nicolaus Tit. Sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.  
†  
† Ego Georgius Tit. Sanctæ Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula.  
†  
† Ego Ludovicus Tit. Sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.  
† Ego Joseph Tit. Sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.  
†  
† Ego Joannes Baptista Tit. Sancti Stephani in Monte Cælio Presbyter Cardinalis Sallernus.  
†  
† Ego Alvarus Tit. Sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.  
†  
† Ego Joannes Baptista Tit. Sancti Mathæi in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.  
† Ego Vincentius Tit. Sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.  
† Ego Prosper Tit. Sancti Chryfogni Presbyter Cardinalis Marefufcus.  
†  
† Ego Nicolaus Tit. Sanctæ Mariæ in Domnica Presbyter Cardinalis Coscia.  
†  
†  
†  
†

† Ego Benedictus sanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis Pamphilus.  
† Ego Joseph Renatus sancti Georgii in Velabro Diaconus Cardinalis Imperialis.  
† Ego Laurentius sanctæ Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.  
† Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.  
† Ego Curtius sancti Eustachii Diaconus Cardinalis Origus.  
† Ego Fabius sanctorum Viti & Modesti Diaconus Cardinalis de Abbatibus Oliverius.  
† Ego Carolus sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconus Cardinalis de Marinis.  
† Ego Julius sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.  
† Ego Alexander sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.  
† Ego Nicolaus sanctæ Mariæ de Rotunda Diaconus Cardinalis Judice.  
†  
†  
†

ANNO  
1724.

P. Card. Prodatarius. F. Card. Oliverius.  
V I S A  
De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.  
L. Mavrinetus.  
Registrata in Secretaria Brevium.

De beato Philippo Benitio, ordinis Fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis, per Clementem X. Pont. Max. sanctorum Confessorum canoni adscripto.

II.

B E N E D I C T U S E P I S C O P U S

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Rationi congruit & convenit æquitati, ut quæ Romanus Pontifex in plenario conventu venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, unanimi eorum consilio communicato, sanxit & defini- vit, licet postea ob ejusdem Pontificis obitum li- teræ Apostolicæ de his conscriptæ non fuerint, suam tandem consequantur effectum.

Jamdudum piæ memoriæ antecessor noster Cle- mens Papa X. Dei servos, quos summarum virtu- tum & signorum præstantia in variis religionum ordinum cælibus olim fulsisse cognoverat, om- nium Christianorum imitatione exprimentos pro- positurus, inter ceteros unum elegit venerabilem virum Philippum Benitium ex familia fratrum servorum beatæ Mariæ Virginis, quem ob sancti- tatem, ex ritu S. R. E. probatam atque recognitam, ubique colendum, honorandumque decerneret.

Philippus Florentiæ Tuscorum anno Christi Do- mini MCCXXXIII. dum annua festa agerentur bea- tæ Mariæ Virginis in cœlum assumptæ, a qua eum parentes precibus impetraverant, familiæ fratrum Servorum ejusdem Virginis, eodem die atque an- no institutæ magnum ipse ornamentum futurus, in lucem editus est. Luteciæ & Patavii studiis sa- crarum literarum absolutis, hoc assiduis jejuniis & orationibus a Domino obtinuit, ut ordo fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis, cui nomen da- ret, sibi præmonstraretur: cujus ordinis vestem in classe laicorum ob modestiam, indutus, ali- quando solitariam vitam in montis Senarii ere- mo supra Florentiam traduxit. Postmodum ex obedientia ad presbyteratum evehctus, terrenisque rebus ob cœlestium contemplationem despectis, verbo Dei promulgando se totum addixit, suæ- que familiæ generalis præfectus in unam hanc cû- ram ardentem incubuit, ut per se suosque variis lin- guis instructos, Christi Domini Evangelium ubique

I.  
Clemens X. concilium init de refe- rendo in can- onem Sanc- torum Philip- po Benitio.

II.  
Philippi or- tus & vitæ institutio.

